



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Joannis Commirii E Societate Jesu Carminum Libri Tres

Commire, Jean

Lutetiæ Parisiorum, 1678

Vnde tanta poëtici spiritus carminumque varietas.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14818

Æterno portat coeli per templa triumpho.
 At quocumque pedem felix & lumina torques,
 Continuo alma dies oritur, fugit umbra, tenebræ
 Sub Styga præcipitant, nigra mergitur oceano nox.
 Nec vero flamma sol deficiente laborat,
 Aut tristi dolet obductos caligine currus.
 Hæc Phœbe, hæc quæcumque aliena luce coruscant
 Damna pati metuant stellæ. Non deficit ignis
 Divinus. Cumque in medio se limite condit,
 Invidia lunæ, atque objectu corporis atri,
 Creditur amisisse diem; tunc ardet Olympo
 Purius, & lunæ tenebras noctemque remittit,

Unde tanta pœtici spiritus carminumque varietas.

NESCIS care puer, quantas Aganippidos undæ
 Esse potestates Pindi regnator Apollo,
 Quam varios usus voluit. Fons unus in alveos
 Scindit se plures: sed non vis omnibus una.
 Nam sacer erumpens variis siphonibus humor
 Ora modis vatum fingit potentia miris,
 Hac elegos, illa molles de parte phaleucos
 Continuo ire datum. Tragico voluuntur iambi
 Cum sonitu; heroi grandes placido agmine currunt:
 Labitur ad numeros modulatis fluctibus ode,
 Ipsa loci facies oculos invitat euntum,
 Aspectuque suo mulcet. Consurgit in auras
 Tectorum in medio geminato vertice rupes
 Structa manu: concha, positisque ex arte lapillis
 Naturam simulavit opus. Longo ordine circum
 Diversæ effigies stant; & jaculantur aquæ vim
 Ritu quæque suo largam. Bicoloribus alis

Fama

Fama volans, lauruque caput redimita virenti,
 Ære ciet pugnas, regesque hortatur ad arma.
 It lituo longe prorupsum flumen. At illo
 Mæonii sese properant immergere olores,
 Cumque undis numeros & Martia carmina ducunt.

Heroïca poësis.

Parte alia auratis graditur regina cothurnis,
 Scissa comam, laniata genas. Tum cuspide sæva
 Ilia transfadigit. Liquor alto vulnere manat
 Purpureus; verusque potest cruor ille videri.
 Hinc Tragici potant, mentesque ad grandia fingunt
 Crimina fortunæ cantanda, virumque labores,
 Et magnos rerum fato sub vindice casus.

Tragœdia.

At Venus in brevibus foccis & simplice amictu,
 Sparsaque inornatos crines per eburnea colla,
 Neglecto & cultu formosior, improba gaudet
 Jurgia & insanas juvenum componere lites,
 Furtaque, servilesque dolos, vanumque thraſonem,
 Subductosque seni loculos, dum stertit, avaro.
 Dicta Deæ ac gestus taciti mirantur amores.
 Illa levi feriens terram pede, prolicit amnem:
 Unde hibunt, queis aut divini fama Menandri:
 Aut Libycæ Sirenis honos, præcordia tangit.

Comœdia.

Non procul hinc Satyrum tergo rudentis aselli
 Hærentem aspicias. Dependet buxea collo
 Fistula, non paribus crescens de more cicutis.
 Læva quatit virgam, pigrumque urgere laborat
 Quadrupedem. Ridet circum lasciva juvenus,
 Atque jocus misero salibusque insultat amaris.
 Ipse autem naso rivum exertoque molari
 Eructat duplicem. Naso qui labitur humor,
 Innocuos generat risus dulcesque cachinnos,
 Et quæ qui patitur convitia, credit amari.

Satyra.

Q

At quæ dente putri saliens micat unda , colorem
Fellis habet , potu & bilem succendit acerbo.

Proritatque animos , letumque in vulnere linquit.

Lyricum carmen.

Amphion fidibus mulcens delphina canoris
Inde mari vehitur. Glomerant se vitrea circum
Numina Tritones , pendentque canentis ab ore
Attoniti. Patulis geminos de naribus efflat
Interea piscis fontes , pulsatque vicissim
Humentis citharam plectro. Bibit impigra vatun
Gens latices , & fatidico se proluit haustu :
Tum vero heroum superis exæquat honores,

DE

TRANSFUGIO CORDIS.

Ad amicum amica expostulatio.

ISTA quidem vis est. Quid enim committere tantum

Imprudens in te potui , dilecte Menalca ,

Ut mihi cor furto vulsum radicibus imis

Surriperes ? hæc Musarum pro munere solvis ?

Debueram certe , si mens non læva fuisset ,

Præsentire dolos , & quæ me damna manebant :

Cum primùm vultusque nives , capitisque verendam

Canitiem , & signis qui plurimus extat in illis

Candorem perspexi animi , moresque serenos ,

Et come ingenium , & juvenilem penè senectam ,

Doctrinæque capax pectus , Phœboque sacratum

Et Musis , vegetamque effœto in corpore mentem.

Ex illo namque insidias & dulcia tendens

Vincula , coepisti cordis , blandissime , fluxam

Sollicitare fidem , nostoque avertere sensim